

Dissertatio inauguralis medico-forensis qua vulnus cerebri sclopetarium septima demum hebdomade absolute lethale / ... exponit ... Johannes Adolphus Seyffert.

Contributors

Seyffert, Johann Adolf.
Vater, Abraham, 1684-1751.
Universität Wittenberg.

Publication/Creation

Vitembergae : Ex Officina Gerdesiana, [1722]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/j43wawna>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-FORENSIS
QVA

29

**VULNVS CEREBRI
SCLOPETARIVM**

SEPTIMA DEMVM HEBDOMADE ABSOLVT
LETHALE

PRAESIDE

D. N. ABRAHAMO VATERO
PHIL. ET MED. DOCT. ET PROF. PVBL.
ANAT. ET BOTAN. SVBSTITVT.

NEC NON

SOCIETATVM IMPER. NAT. CVR. GERMAN.
ET REG. ANGLIC. SOCIO

PRO LICENTIA

SVM MOS IN ARTE SALVTARI HONORES
ET PRIVILEGIA OBTINENDI


D. VI. JVL. M DCC XXII.

SPECIMINIS INAUGVRALIS LOCO
PLACIDAE DISSENTIENTIVM DISQVSSIONI
EXPONIT

RESPONDENS

IOHANNES ADOLPHVS SEYFFERT
PRACTICVS ANNAEBERGENSIS
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

VITEMBERGÆ, EX OFFICINA GERDESIANA.





Q. D. B. V.



ulnerum, corpori humano inflictorum, lethalitas dubia, et Medicorum in ea determinanda dissensus, est, de quo, tanquam innumerarum in foro controuersiarum, nullo pacto fere componendarum, causa, grauiter conqueruntur Iustitiæ Sacerdotes. Etenim Hipocratis, primi Medicinæ Parentis, ac tantum non omnium veterum Medicorum placitis, uulnera quorumuis uiscerum interiorum inter simpliciter, per se, & absolute lethalia referuntur. Ita enim ille, *Sect. VI. Aph. 18. Vesicam dissectam habenti, aut cerebrum, aut cor, aut septum transversum, aut tenue aliquod intestinum, aut ventriculum, aut hepar, lethale est.* Recentiorum uero Medicorum libri exemplorum, et obseruationum pleni sunt, uulnerum horum uiscerum, etiam profundiorum et ma-

gnorum feliciter curatorum. Eo igitur pro-
 pemodum res deducta est, ut fere nullorum ui-
 scerum nobilissimorum, si forte cor, cum cana-
 libus sanguiferis maximis, aorta, ac uena caua,
 excipias, uulnera pro absolute lethalibus ha-
 beantur. Non tamen eo usque terminum le-
 thalitatatis per se dictae, aut τὸ per se lethale ex-
 tendendum esse, quasi nullum uulnus, nisi cu-
 ius sanati nullum exemplum allegari possit, pro
 eiusmodi lethali sit habendum, qualium casu-
 um forsan pauciores suppeterent; sed ab illo,
 quod ut plurimum fit, aut fieri, experientia do-
 cet, ad casus oppositos concludere licere, gra-
 viter pronunciat Bohnius, *de Officio Med. dupl.*
P. II. Cap. V. Idem etiam agnouit Ammannus,
in Paraenesi L. V. P. II. Sect. I. Cap. I. §. 19. ubi
 uulnera, ut plurimum lethalia, per se et abso-
 lute lethalibus annumeranda esse, contendit.
 Hac re commotus celeberrimus quondam Iure-
 consultus, et Academiae nostrae Antistes me-
 ritissimus, Stryckius, *in Programm. Inaugurali,*
VVittembergae Anno MDCXCI. edito, uulne-
 rum inspectionem, ac de lethalitate iudicium
 medicum, ad sententiam homicidae ferendam,
 prorsus inutile et superuacaneum, imo legi di-
 uinae contrarium existimat, quoniam, ut ait,

non

non pauci homicidarum, solis Medicorum subtilitatibus, ab optime merito liberentur supplicio. Concludit idem propterea his uerbis: *Stabit ergo immota haec sententia, diuino ciuili- que iure ex asse conueniens, uulnus omne, morti causam dans, utut in se suaque natura mortife- rum non sit, si exterius culpa vulnerati nihil ad- ueniat, quod mortem promoueat, capitis supplici- um mereri.* Nostrum nunc non est, de eo de- cernere, quoniam hoc ad Theologos atque Iureconsultos pertinet. Sufficit, quod de hoc, utrum sui, an circumstantiarum concurrentium culpa, uulnus factum sit lethale, sine cadaueris inspectione legali, & depositione Medicorum, iudicium ferri nequeat. Eaque de causa, iusti- tiae administratores retinuerunt laudabile hoc institutum, ut nihil de homicida decernant, priusquam per Medicos de uulneris lethalitate certiores redditi sint. Medicorum tamen est, in cadauerum inspectione, uulnerum perlustra- tione, ac lethalitatis renunciatione, uti circum- spectione, ac diligentia, omnesque circumstan- tias sedulo considerare, nec quicquam prae- termittere, quod ad iudicium accuratum eden- dum facere potest. Laudem prae aliis insi- gnem ea in re promeritus est celebratus Boh-

nus, dum in erudito, de uulnerum renunciatio-
 ne, tractatu, cautelas utilissimas exhibuit, qui-
 bus obseruatis, non facile quis errare poterit.
 Praecipue uero, eodem monente, lethalitatis
 praesumptio minus recte desumitur a tempore
 mortis insecutae, quoniam non semper, ad le-
 thalitem constituendam, sufficit eius celeritas,
 nec, ad eam tollendam, tarditas. Hoc ipsum
 nouo quodam, nuper in uicinia obseruato,
 exemplo confirmare, est animus, exponendo
 Tibi, Lector Beneuole, in praesenti, speciminis
 inauguralis loco, casum singularem, uulneris
 cerebri, in fine septimae demum hebdomadis
 absolute lethalis. Quod ut summum Numen
 felix faustumque esse iubeat, precamur.

CASVS.

In ciuitate, duobus abhinc milliaribus distante,
 Grauenhayn dicta, exploso a iuvene per in-
 curiam sclopo, globulis plumbeis minoribus,
 Reh-Schroot/ repleto, uirgo octodecim anno-
 rum uulneratur in fronte, duobus tantum ho-
 rum globulorum cranium pertudentibus, al-
 tero nimirum in ipsa nasi radice, inter superci-
 lia, altero uero supra oculi sinistri canthum
 exteriorem, in loco, duorum digitorum lato-
 rum

rum ab isto remoto. Accepta plaga, uulnerata, sensibus omnibus orbata, mortuae instar in terram prosternitur, ac, adhibitis licet fortissimis acclamationibus, atque uellicationibus, uix intra horarum duarum spatium ad se redit. Inde aegra, accedentibus uariis symptomatibus, per interualla remittentibus, ac iterum ingrauescentibus, nec ullis remediis internis externisque cedentibus, imprimis doloribus, soporibus, deliriis, ac conuulsionibus, usque ad septimae septimanae finem uitam traxit, tandem uero, doloribus acutissimis, motibusque conuulsiuus exagitata, accedente sopore, succubuit. Aperto a nobis capite, et caluaria ablata, apparuit, globulum, in radice nasi transeuntem, separatis eo loco duobus a cranio fragmentis, huic adhuc cohaerentibus, ac inflicto processui mammillari dextro foramine notabili, inter haemisphaerium dextrum, et falcem procedendo, usque ad medietatem capitis penetrasse, quo loco, digiti latitudine a corpore colloso distante, idem processui falciformi firmiter cohaesit. Alter uero globulus, in sinistra frontis parte supra orbitam oculi transiens, fragmenta cranii complura minora, integumentis adhuc inter se cohaerentia, ad fabae minoris magnitudinem acceden-

cedentia, per duram et piam matrem, pollicis latitudine, intra cerebri substantiam proiecerat, a qua ita circumdata fuerunt, ut, praeter aperturam in cerebro factam, nihil eorum in conspectum prodiret, praeterquam, quod, premendo cerebrum, mediantibus digitis, durities intus latens perciperetur. Dictis ramentis extractis, ac uentriculo sinistro aperto, idem materia purulenta, copiose effluente, totus repletus fuit, dexter autem uentriculus sero flauescente turgidus apparuit, ac praeterea durae matris superficiem internam, super totum hoc haemisphaerium, obduxit sanguis corruptus, sub forma pigmenti nigri eidem agglutinatus. De cetero cerebrum ipsum, quoad substantiam, nec non uentriculus tertius, cum quarto, ac cerebellum, nil omnino labis monstrarunt.

THESIS I.

Antequam de huius uulneris qualitate, aut lethaliitate iudicium ferri queat, dispiciendum prius erit paucis, de lethaliitate uulnerum in genere, in quo ea consistat. Lethalia proinde uulnera ea solum audiunt, quorum culpa, uiscerum nobiliorum, ad uitam continuandam absolute facientium, aut

aut textura destruitur, aut actio tollitur, ita, ut munia sua obire, et operationes vitales amplius peragere nequeant. Quandoquidem uero uita nostra absoluitur circulo sanguinis, quo cessante, uita statim perit, hic uero sine integritate cordis, et uasorum sanguiferorum maiorum perfici nequit, inde constat, omnes cordis, atque canalium grandiorum perforationes, quibus purpura uitalis una & semel effunditur, mortem in momento afferre. Non deficiunt quidem casus rarissimi, inter miracula naturae, et paradoxa Pathologico-Anatomica referendi, ab auctoribus obseruati, ubi, ipso corde transfosso, ac uentriculis eiusdem perforatis, uita tamen per plures non solum horas, sed dies continuauit, adeo, ut tales aegri ad decimum quintum usque diem in uiuis superstites fuerint: qualia exempla apud Auctores passim occurrunt, quorumque plura collecta uidere licet apud Bonettum, *Anat. Pract. L. IV. Sect. III. Obs. 23.* Factum hoc necessario est ideo, quod uulnus exile, aut propter obliquitatem contractum, aut ab extra compressum, aut instrumentum laedens, in uulnere subsistens, effluxum sanguinis largiorem impediuerit. Hoc uero copiose effuso, cordis aequae, ac canalium maiorum pertusiones, uulneratos diutius supersti-

tes esse, non permittunt. Propterea Facultatis nostrae iudicium, superiori anno a Medicis Lubecensibus, occasione depositionis, ab empirico factae, exposcebatur, utrum, trunco uenae cauae, in ipso hepate, transuersim, ad dimidium usque, secto, uulneratus nihilofecius per unam uel alteram horam uiuere, ac per plateas aliquot discurrere ualuerit? quod merito negauimus. Lethalibus tamen etiam annumerantur uulnera uasorum minorum, imprimis interiorum, et profundius sitorum, ubi haemorrhagia sisti nequit.

THES. II.

Non uero tantum circuli uitalis destructio totalis uitae terminum cito affert; sed etiam respirationis, non minus, ac circuitus sanguinis, ad uitam absolute necessariae, omnimoda suppressio id ipsum praestat. Quamobrem, perfosso diaphragmate, praecipue in parte neruosa, aut pulmone cum mediastino pertuso, aegri, ob respirationem suppressam, mortuorum instar concidunt, nec, nisi sanguine, pulmonem opprimente, educto, ac uulnere extrinseco obturato, ad se redeunt. Quamuis diaphragmate grauiter laeso, ac pertuso, respiratio cesset, et uitae periculum immineat; uidimus tamen aliquan-

quando experimentum, in cane institutum, qui, perforato diaphragmate, et quidem in parte neruosa, uitam conseruauerat. Eodem uero postmodum dissecto, ictum eo loco penetrasse, constabat, ubi pericardium, cum diaphragmate laxius cohaerens, sinum notabilem in illis animalibus format, adeo, ut, licet foramine adhuc in diaphragmate superstite, respirationis negotium integrum permanserit, quia in inspiratione aer ad abdomen penetrare non poterat.

THESIS. III.

Ad reliquorum organorum uitalium laesiones, quae chylicationi, chyli ad sanguinem translationi, atque nutritioni inseruiunt, quod attinet, eae tardius quidem, at si eadem officio suo in totum defunguntur, certam tamen mortem inducunt. Hinc uulnerationes uentriculi, intestinorum, mesenterii, uesicae felleae, ductus thoracici, oesophagi, aliorumque uiscerum internorum, cum effusione succorum in cauitates incurabili coniunctae, ob corruptionem inde ortam, lente admodum ad mortem procedunt. Oborta tamen, ob uasa sanguifera insigniora rupta, haemorrhagia fortis, aut inflammatione, aut ob neruos internos

grauiter affectos, conuulsionibus uiscerum superuenientibus, tales interdum sat cito uitae finem faciunt.

THES. IV.

Cerebrum quidem, uti officina spirituum, sic dictorum, animalium audit, ita praecipue functionibus animalibus, sensibus atque motibus uoluntariis, quibus diutius, sine uitae detrimento, carere possumus, praest. Ob cerebellum tamen, a quo neruus uagus, motionum in internis uisceribus uitalium director, potissimum oritur, et ob neruum intercostalem, a quinta et sexta coniugatione oriundum, laesiones cerebri ipsius grauiiores lethiferae sunt. Ab horum quippe neruorum duorum in uia coniunctione, plexus uarii in cavitatibus efformantur, e quibus nerui organorum uitalium promanant: adeoque, influxu liquidi neruosi per hos intercepto, motus cordis atque diaphragmatis statim confunditur, ac breui tempore cum uita penitus perit, uti id experimentis confirmat Vieussenius *Neurogr. L. I. c. 20. et L. III. c. 4.* Quoniam igitur cerebellum praecipue actionibus internorum uiscerum inuoluntariis, ac magis necessariis, utpote quibus uita animalium sustinetur, praest, hinc eius uulnerationes, prae reliquarum cerebri regionum, leth-

lethales merito aestimantur. Quod si enim experientiam consulamus, uix unum forsan obseruare continget, qui ex lacerato cerebello euaferit, cum plura passim obuia sint exempla, quibus, fatis ingentia quoque cerebri uulnera coaluisse, perhibetur, uti differit Bohnius *l. c.* Ea-que de causa, haud dubie, sapientissimus Creator cerebellum tam profunde, sub cerebro, in loco, ab iniuriis externis magis remoto, collocauit, ne illud facile laederetur.

THESIS. V.

Licet autem directio functionum uitalium primario cerebello debeatur; cerebrum tamen non minus ad easdem peragendas plurimum confert. Patet hoc ex apoplecticorum symptomatibus, in quibus totalis sensuum, atque motuum externorum cessatio periculum quidem, at certam mortem non adducit. Cerebello uero, ac principiis neruorum internorum in consensum tractis, et accedente, ob conuulsiones interiorum uiscerum, et circuli uitalis oppressionem, stertore, ac sudore copioso, mors est in propinquo. Eaque propter uulnera cerebri profundiora, ejusque commotio fortior, cum sectione, aut ruptura arteriarum insigniorum, ac sinuum uenosorum, ob consensum cere-

bri atque cerebelli, citius uitae finem facere solent. Neque enim cerebri, stricte sic dicti, laesiones, utut sat graues, per se mortem inducere possunt, nisi exinde, ob haemorrhagiam grauiorem, aut ob inflammationem obortam, circulus vitalis citius, aut tardius suffocetur, uel, cerebello ac principiis neruorum, ad uiscera interiora amandatorum, compressis, motus horum organorum cum uita pereat. Inde etiam est, quod uulnera cerebri ipsius grauiora, etiam ipsam medullarem substantiam et uentriculos attingentia, imo cum deperditione particulae cerebri, curata obseruentur ab auctoribus, quorum integrum catalogum exhibet Bohn. *l. c. Sect. l. c. i.*

THES. VI.

Multo minus autem uulnera cerebri leuiora ac superficialia, et ruptura uasculorum minorum, nec non meningum, atque cranii, cum reliquis integumentis, utut grauiora, per se lethalius accenseri possunt, nisi, ob denegatum materiae, sub cranio aut meningibus collectae, effluxum, aut fragmentorum, a cranio separatorum, ac durae matri et cerebro infixorum, inhibitam remotionem, talia euadant. Nisi enim apertura sat magna, pro educatione rerum heterogenearum, sub caluaria ac dura matre haeren-

rentium, a uulnere facta fit in cranio, talis arte, mediante trepano, fieri potest, et debet, ubicunque circumstantiae id suadent, ac permittunt. Hanc certe uiam natura ipsa nobis monstrauit, quoniam, in grauioribus cerebri commotionibus, sine cranii fractura, materiae et sanguinis effluxu per nares atque aures facto, aegri a grauiissimis symptomatibus, ipsaque morte liberati saepe fuerunt. Neque tamen semper trepanatio auxilium ferre potest: imo ea plurimis de causis saepissime non admittitur, symptomatum nimirum grauitate, mortisque celeritate eam respiciente, aut deficientibus signis certis, situm rerum laedentium edocentibus. Etenim tantum ea hoc ipso educi possunt, quae immediate sub caluaria, aut dura matre, minus uero, quae profundius in, aut sub cerebro latent. Imo nec sanguis ipse, immediate sub cranio, durae matri incumbens, trepani beneficio inde elici potest, quando hic *durae meningi plus minus tenaciter agglutinatur, hängen so fest an / als Pech / ut in cadaueribus non, nisi duriore razione, hinc detergatur, et lenta suppuratione, seu putredine, demum secernatur; hinc forsitan tarde satis per aperturam factam excernitur, interim cerebri compaggi uel mole, uel fracedine molestus, et oeconomiam ejus breui sufflamans, ac destruens,* uti nobis auctor

Et or est Bohnius, *l. c. p. 92.* Non itaque semper, trepani solius neglecti causa, uulnera talia per accidens lethalia pronunciari possunt.

THES. VII.

Quamuis autem sat insignes cranii, in superiori capitis regione, fracturae per se lethales aestimari nequeant; interdum tamen fissurae capillares, ac contrafissurae per se lethales esse possunt. Tales quidem non tam per se immediate, quam mediante laesione grauiori, et corruptione cerebri, mortem inducunt; interim tamen per se lethales existunt, quando nimirum tales in interiori cranii lamina, externa illaesa, aut in ossibus, profundius sitis, osse sphaenoideo, petroso, orbita oculorum, sub cerebri basi latent, adeoque nec cognosci, multoque minus curari possunt. Quoniam enim in basi cerebri, dura mater arctissime cum cranii ossibus cohaeret, hinc eiusmodi fissurae, non tantum continuam durae meningis distensionem, et grauissimam irritationem, sed etiam succorum, in cranio circulantium, extrauasionem, et inde factam durae matris, et cerebri incumbentis, putredinem non possunt non inducere. Rarissimus quidem Facultati nostrae non pridem offerebatur casus, ubi ab ictu, lapide in fronte inflicto,

infiecto, os frontis supra orbitam fractum, cum fissura in superna orbitae parte, apparuit, cerebro tamen per omnia sano, atque illaeso in sectione reperto. Quoniam tamen vir, plaga illa demortuus, omnem curam atque diaetae regimen neglexerat, nullaque in cerebro ipso laesio occurrebat, apertura uero insignis, in osse frontis, supra orbitam, huiusque ossis tenuitas facilem remediorum applicationem, et fissurae, ibi obseruatae, consolidationem suadebat, hinc a nobis uulnus istud per accidens lethale merito renunciatum est. Ex hoc solo casu omnino constat, quanta in iudicio, de uulneribus capitis edendo, opus sit circumspectione, ne minima quaedam circumstantia, quae ad rem facere uideatur, facile praetermittatur.

THES. VIII.

Antequam uero ad uulneris nostri, in praesenti expositi, considerationem nos conferamus, paucis adhuc agendum est de eo, quod Auctores plures obseruant, a commotionibus et laesionibus fortioribus capitis, mortem post se relinquentibus, saepissime nullum in cerebro uitium, sed potius abscessus in uisceribus inferiorum cavitatum, imprimis in hepate et liene, inuentos fuisse. Horum casuum admodum multos commemorant Paraeus, Pigray, Virfungius, Welschius, Marchettis, alique, quo-
C
rum

rum loca et sententias Bonettus, *l. c. obs. XVI.* exhibuit, adeo, ut etiam Pigray referat, se in omnibus fere, ex capitis uulneribus, nullo quidem grauiori symptomate accedente, postea tamen, imprimis febre tertia die superueniente, mortuis, quorum corpora dissecuit, abscessus hepatis obseruasse: in quo etiam consentientes habet reliquos. Quemadmodum uero his obseruationibus fidem nullatenus denegare, intentio est: ita tamen huius rei rationes, quas dicti Auctores dant, nec nobis, nec saepius laudato Bohnio, nec aliis arrident. Marchetti quidem, ex dolore colli coniuncto, sibi persuasit, materiam ex capite delabi ad cavitates; uiae tamen deficient, per quas decubitus iste fieri queat. Alii sanguinis, a pure, in uulnere subsistente, infectionem, indeque factam in hepate inflammationem accusant, at ita quoque ex aliarum partium grauioribus uulneribus fieri deberet hepatis abscessus. Quicquid huius sit, abscessus illos uiscerum non tam ex capite, quam aliis causis deriuandos esse, ratio suadet, quoniam inter cerebrum, et dicta uiscera, nullus specialis consensus reperiri potest. Quod si tamen abscessus isti a laesione capitis dependeant, certe id casu, et non, nisi mediante circulo sanguinis, uisceribus istis communi, non quidem per materiae e cerebro ad hepar translationem, sed ob

fan-

sanguinem, propter influxum succi neruei turbatum, et inde ortas motuum anomalias, in uisceribus hinc inde stagnantem, aut per spasmos, ob grauiter affecta principia neruorum, oriundos, hos fieri posse, patet.

THES. IX.

Properamus nunc ad uulneris Sclopetarii, antea a nobis descripti, considerationem, inquirendo, utrum, et quo pacto illud pro absolute lethali haberi possit, et debeat? Vulnus quidem hoc cuiusdam leue, nec adeo magni momenti, multoque minus lethale uideri posset, tum ob globulorum perforantium magnitudinem haud insignem, tum ob eorum penetrationem non nimis profundam, intra medullam atque basin cerebri, tum ob aperturam, sine fractura grauiori, in cranio pro exitu materiae relictam, tum maxime propter tempus diuturnum, plagam inter et mortem percussae, interiectum. Quod si tamen omnes eiusdem conditiones rite, et ut par est, perpendamus, manifestum omnino euadet, illud inter absolute lethalia iure meritoque esse referendum. In eoque, ut speramus, consentientes nobiscum habebimus omnes, qui considerare uolunt, quod in iudicio de uulnerum qualitate, ac lethalitate non sufficiat, unam uel alteram circumstantiam attendere, sed opus quam maxime esse, omnes con-

iunctim expendere, ex iisque, inter se collatis, demum iudicium accuratum ferre, quoniam minima circumstantia uariat rem. Ordine autem procedendum nobis erit, contemplando primum locum in cerebro, quousque instrumenta laedentia penetrarunt, postmodum effectus, quos ibidem ediderunt, tandemque, utrum ad hos praecauendos, aut tollendos, ars nostra remedia praebeat idonea.

THES. X.

Ad locum quod attinet, quorsum globuli ac ramenta cranii penetrarunt, dexter quidem, supra nasum intrans, processum mammillarem leuiter uulnerauerat, hinc uero sine ulteriori contactu hemisphaerii dextri, inter hoc et falcem procefferat, ac huic cohaerebat. Quoniam tamen hic nec cerebrum grauiter afflixit, nec sinus durae matris uulnerauit, neque corpus callosum subiacens premere potuit, inde quidem dubium oboritur, utrum hic morti causam dare ualuerit. Quem uero latet, quanta a spiculis atque fragmentis cranii, durae matri in parte superiori infixis, dependeant mala, dolores nimirum acutissimi ac conuulsiones grauissimae, quae symptomata non, nisi causarum irritantium remotione, sopiri queunt. Tanto magis uero globulus, in falce inter duo hemisphaeria haerens, malorum subsecutorum funda-

damenta iecit, fibras durae matris, nec non hemisphaerium accumbens continuo irritando, circumque sanguinis in uasis et sinu longitudinali turbando. Inuenimus quidem nos ante duos annos, in cadauere foeminae, publice in Theatro Anatomico dissectae, eo fere loco, officulum formae lenticularis, pisi magnitudine falci cohaerens, a quo tamen foemina, praeter stupiditatem et capitis grauitatem, nihil mali perceperat. Tale officulum quoque a falce extraxit Cheseldenius, in uiro, grauissimis capitis doloribus extincto. *Vid. Transact. Anglic. n. 387. p. 287.* Plurimum tamen interest inter officula, ibi locorum generata, et globulos plumbeos, grauitate sua maxime molestos. Globulum uero hunc tanto grauius duram matrem affecisse, suspicio est, quoniam in superficie crenatus fuit, (*gehackt Schroot.*) Multo maiorem uero laesionem cerebro attulerunt fragmenta, per globulum, supra oculum sinistrum transeuntem, a cranio auulsa, quae sat profunde substantiae cerebri immersa fuerunt. Quamuis enim illa intra uentriculum ipsum subiectum non penetrarunt, continua tamen sua irritatione ac pressione, extrauasioni ac putredini occasionem dederunt.

THES. XI.

Confirmat hoc ipsum ulterius stagnatio humoris corrupti copiosi, in uentriculo sinistro, et uentriculi dextri a sero repletio, ac sanguinis, durae

rae matri intrinsecus adhaerentis, exsudatio, indeque orta symptomata, ac ipsa mors demum superueniens: quae omnia nulla arte praecaueri potuerunt. Remedia quidem omnia, in uulneribus capitis usualia, applicata fuerunt, uenefectio mature instituta, capiti, derasis capillis, fomentationes neruinae continuo admotae, superuenientibus conuulsionibus et doloribus, uesicatoria quoque in nuca excitata, nec interna cura omnino neglecta fuit, omnibus nihilofecius incassum adhibitis, quia symptomatibus istis nullo modo, nisi heterogeneorum, in cerebro latentium, illudque uehementer irritantium, sublacione, medela afferri potuit. Percepit sane aegra ab usu remediorum leuamen, ac symptomata subinde remiserunt, mox tamen grauius eandem inuaferunt, eamque tandem, accedente lethali sopore, iugularunt.

THES. XII.

Sed dicet forte quispiam, neglecta tamen est trepani applicatio, cuius beneficio forsan globulus ac spicula remoueri potuissent. At, quo pacto, mediante trepano, haec ipsa educere licuisset, non uideo. Vidimus supra, trepanum non tantum non semper admitti, sed etiam ad extrahenda omnia, in cerebro abscondita, minus esse idoneum, quando nimirum talia aut profundius sita sunt, aut nulla sui indicia praebent. Nullo modo globuli, inter duo hemisphaeria profundius falci adhaerentis,

is, situs iudicari aut ille e loco isto trepani usu elici
potuit. Quis uero fragmenta cranii, in sinistro la-
tere intra cerebrum protrusa, aperto licet cranio,
ope trepani, inuenire, aut inde extrahere uoluisset,
quae, post mortem cranio eleuato, quia cerebro
inuoluta, nullatenus conspiciere, nec sine eius lacera-
tione separare potuimus. Par etiam est ratio san-
guinis corrupti, in interiori latere durae matris
expansi, et firmiter conglutinati, cuius, sub caluaria,
in exteriori superficie crassae meningis haerentis,
extrahendi, nulla spes superest, uti in anteceden-
tibus ex Bohnio annotauimus. Accedit uulnerum
profundorum, rerumque laedentium distantia, et lae-
sionum uarietas ac multiplicatio, quae omnia tre-
pani usum eludunt. Posito autem, quod causae
istae, extrauasionem et putredinem in uentricu-
lis inducentes, trepano tolli non potuerint, ma-
nifestum est, duplex hoc cerebri uulnus in se, et ne-
cessario mortis infecutae causam fuisse, adeoque
per se et absolute lethale aestimari debere. Pona-
mus etiam, globulum, processui durae matris ad-
haerentem, utut alia incommoda, epilepsiam, do-
lores capitis, melancholiam, post se traxisset, mor-
tem tamen per se afferre non potuisse. Quod si
tamen duo illa uulnera, uti par est, non separatim,
sed coniunctim considerentur, patet, globulo huic
ex parte fatalem euentum adscribendum esse, prae-
cipue, quoniam extrauasio feri in dextro uentri-
culo,

culo, et sanguinis durae matri agglutinati, nullam aliam causam, praeter concussionem capitis, ab illo factam, agnoscit.

THES. XIII.

Restat, ut paucis adhuc dispiciamus, ob quas rationes mors, a multiplici et incurabili hac cerebri laesione necessario dependens, tamdiu protracta fuerit. Humororum certe, in uentriculis cerebri reperorum, extrauasio atque putredo, nulla ratione praecauenda, mortem uulneratae nostrae conciliauit. Hanc tamen non una et semel, sed lenta admodum exstillatione, ex tubulis minoribus ruptis, factam esse, docent circumstantiae. Inde etiam materia illa, in uentriculis anterioribus contenta, influxum succi animalis, in organa uitalia totaliter intercipere non potuit, quam ubi, quantitate aucta, uentriculum medium et caudicem medullae oblongatae, subtus latentem compressit, atque ita uitae finem fecit. Hoc enim situs uentriculorum superiorum, in anteriori hemisphaeriorum cerebri regione, confirmat, quoniam isti ossibus frontis atque temporum magis incumbunt, ac propterea liquores, in iis contenti, tantam principis neruorum molestiam non creant, nec tam citam mortem inferunt, ac si tertium aut quartum cerebri uentriculum inundent. Ex allatis igitur rationibus sufficienter constare, iudico, uulnerationes cerebri, haecenus expositas, per se et absolute lethales merito aestimari.